

[COMMENTARIUM IN PSALMOS XV, XXXI, XLI.]

MONITUM DE COMMENTARIO IN PSALMOS XV, XXXI, XLI.

Quantum litteris et doctrina excelluerit sanctus Hilarius, ex iis praeconiis satis constat, quibus veteres Ecclesiae scriptores ejus merita celebrarunt. Hieronymus Doctor maximus *columnam Ecclesiae* ipsum appellat. Praeterea *virum eloquentissimum, et contra Arianos Latini sermonis tubam*. Alibi vero *magnum virum* eum vocat, *et temporibus suis disertissimum, qui et confessionis suae merito, et vitae industria, et eloquentiae claritate, ubicumque Romanum nomen est, praedicatur*. Et ad Laetam scribens ejus filiam hortatur, ut *Hilarii libros inoffenso decurrat pede*. Quin tanti faciebat Hilarii scripta Hieronymus, ut ejus interpretationem Psalmorum Davidicorum et prolixum valde de Synodis librum manu sua ipse descripserit. Sed et ab Augustino laudatur Hilarius tamquam *ecclesiae catholicae adversus haereticos acerrimus defensor, atque venerabilis catholicus disputator et insignis ecclesiarum doctor, neque mediocris auctoritatis in tractatione scripturarum et assertione fidei vir*. Post hos autem magni nominis doctores haud interest reliqua in medium proferre de nostro antistite Pictaviensi judicia, quae tulisse noscuntur Rufinus, Sozomenus, Cassianus, Cassiodorus aliique.

«Quapropter, inquit Martenius , satis dolere non possumus, complura tanti Doctoris monumenta aut periisse omnino, aut oblivioni tradita alicubi jacere pulvere obsita. Et in postrema quidem operum ejus recensione quam piae memoriae e nostris adornavit Petrus Coutantius, nihil diligentiae praetermissum, quominus et a mendis expurgata et integra prodirent in lucem omnia. Nec inanis omnino fuit ejus labor: nam et aliquot in Psalmos tractatibus, et apologeticis ad reprehensores libri de Synodis responsis editionem suam auxit. Verum non pauca adhuc delitescent.

Quamobrem cum superiorum nostrorum jussu Germanicum iter suscepissemus, hortatus est nos vir doctissimus, ut in perlustrandis bibliothecis singulari studio Hilarii codices pervolveremus, si forte tractatum ejus in Job, praefationem in Matthaeum et plurium Psalmorum expositiones recuperare possemus: persuasum quippe habebat integrum Psalterium a beato Doctore fuisse expositum. Et ecce discutientibus nobis monasterii Aquicinctensis libros manu exaratos, incidit feliciter in manus nostras codex ab annis circiter sexcentis eleganter scriptus, cujus in limine haec legebatur epigraphe: *In hoc volumine continentur libri XII S. Hilarii Pictavensis episcopi de Trinitate contra omnes haereses, et alia opuscula ejusdem; scilicet liber de Synodis contra omnes haereses, liber contra Constantium, tractatus ad eundem; liber ad eundem, quem Constantinopoli dedit adhuc viventi; blasphemiae Auxentii Arianorum episcopi, liber contra eundem. Super Psalmos.* Consulto vero indice Psalmorum, quorum expositiones in editis Hilarii operibus desiderantur, enarrationes in Psalmos XV, XXXI et XLI, necdum vulgatas in codice illo reperimus; quas studiose perlegentes, Hilarii in

scribendo methodum observatam, stylum ejus, scripturae versionem antiquissimam et ante elucubratam ab Hieronymo vulgatam usitatam, constanter in eis citatam animadvertimus: nihilque incommodi visum est, si eas Hilario attribueremus.»

SANCTI HILARII PSALMORUM XV, XXXI ET XLI INTERPRETATIO, Quae hactenus in editis desideratur.

(C,G,S)*

TRACTATUS DE PSALMO XV.

1. Tituli inscriptione prae notatur iste psalmus: sed quae fuerit David tituli inscriptio, in historia non invenimus. Verumtamen tituli inscriptionem in passione Domini factam recognoscimus: et negari non potest secundum interpretationem, quia iste psalmus de passione et resurrectione Christi prophetasse videatur, quod in illo loco manifestum est, ubi ait, VERS. 10: *Quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem.* David enim mortuus est et sepultus: Christi autem caro sola non vidit corruptionem, nec detineri potuit anima ejus in inferno. Quamobrem psalmus qui et de passione ejus et resurrectione et haereditate dicturus esset, merito notatus est tituli inscriptione. Quid enim in se habuit scriptura tituli, quam cruci ejus Pilatus affixit? *Jesus*, inquit, *rex*

Judaeorum. Quod in se nomen et ipse confessus est, interrogante eum Pilato: *Tu es rex Judaeorum* (**Marc. XV, 26**)? *In hoc*, inquit, *veni et in hoc natus sum*.

2. Sed numquid carnalium Judaeorum rex ab eo super Sion montem sanctum ejus? non utique arbitror in monte hoc terreno qui est in Judaea, regnum a Patre datum Domino, cujus coeleste regnum Apostolus docet: sicut et ipsam civitatem Jerusalem, non hanc Christi esse ostendit quae nunc servit cum filiis suis, sed illam quae sursum est, matrem nostram liberam, coelestem Jerusalem. Ita nec horum Judaeorum qui circumcisi sunt circumscisione manu facta, sed sicut Apostolus docuit, dicens: quia non est hic Judaeus qui palam videtur, neque illa circumcisio quae in carne sit, sed circumcisio cordis, cujus laus non ex hominibus, sed ex Deo est; et non horum Judaeorum rex Jesus qui ex operibus apud homines gloriantur, sed quorum gloria apud Deum propter spem gratiae ejus est. Vide enim Apostolum dicentem, quorum sit gloria apud Deum. *Si enim*, inquit, *Abraham ex operibus justificatus est, apud homines habens gloriam* (**Rom. IV, 2**); ad quid credit in eum qui justificare impium potest, et gratuitam misericordiam Dei sperat? habet gloriam, sed non apud Deum.

3. Judaeorum itaque rex Christus, quorum gloria non ex hominibus, sed ex Deo. Denique et hic psalmus significanter ait, VERS. 5 et 6: *Dominus est portio haereditatis meae. Funes ceciderunt mihi in ipsis potentissimis, etenim haereditas mea perquam maxima est*. Quae est ergo haereditas Domini, nisi haec de qua scriptum est: *Posce, et dabo tibi gentes haereditatem tuam* (**Ps. II, 8**). Peccatores autem ex gentibus credunt in eum qui justificare impium

potest. Et si gloria eorum non ex hominibus, sed ex Deo est; et istorum Judaeorum rex Christus. Non enim hic Judaeus qui palam videtur, neque illa quae in aperto in carne fit circumcisio. Sed quid ait? numquid ex illa circumcisione non plurimi crediderunt? verum est quia crediderunt, sed et ipsi ad exemplum gentium reducti, ut prius se confiterentur peccatores, et sic misericordiam mererentur, sicut Paulus ad Galatas scribens docet: *Si tu, inquit, cum Judaeus sis, gentiliter vivis; quomodo gentes cogis judaizare (Gal. II, 14)?* Nos natura judaei, et non ex gentibus peccatores, scientes quod non justificatur omnis caro ex lege. Itaque volens lucrificari in Christo inventus est peccator; quia Christus venit non justificatos vocare, sed peccatores. Itaque et qui ex circumcisione manu facta crediderunt, ad confessionem peccatricum gentium humiliati crediderunt, ut essent omnes haereditas Christi: non in his qui ex operibus suis justificabuntur, sed in his qui per gratuitam gratiam Dei justificantur. Et haec est tituli inscriptio, quod sit ipse rex Judaeorum. Itaque narrat hic psalmus quorum Judaeorum rex Christus esse videatur, et quam habeat rationem tituli inscriptione; qui non eorum Judaeorum qui palam viderentur, et quorum esset aperta in carne circumcisio, sed potius illorum Judaeorum qui in secreto Judaei, quibus circumcisio cordis, quorum gloria non ex hominibus, sed ex Deo est. Videamus denique psalmi textum, si ad haec quae diximus attinet.

4. VERS. 1. *Custodi me, inquit, Domine, quoniam in te speravi.* Qui debitum petit, non sperat: nam si debetur mihi aliquid, jure id reposco. Quod si quis mihi ex voluntate tribuat, non ex oblatione; de hac consuetudine ejus, benevolentiam ejus sperabo. Itaque hic qui non ex operibus justitiam

magnificabat, sed gratuitam Dei gratiam introducebat, *Custodi me*, dixit, *Domine, quia in te speravi. Dicam Domino, Deus meus es tu*. Potestas enim Domini in eo est, ut faciat in servum quod vult, non quod necesse habet. Si autem operibus merces debetur; id mihi retribuet, quod necesse habuerit, non quod voluerit. Si enim operatus fuero, velit nolit, debetur mihi merces, et evacuabitur per haec gratia Dei, sicut Apostolus ait: Nam qui operatur, merces illi accepta fit per debitum, non per gratiam; sed qui se non ex operibus suis, sed ex gratia Dei salvum fieri vult, sicut oportet nos omnes credere; hic sperans in Deum constituet sibi bonum quod voluerit Deus, non quod necesse habuerit, ac per hoc significanter ait, VERS. 2: *Dixi Domino, Deus meus es tu*. Neque enim umquam Dominus gratias agit servo, si fecerit quod jusserit; sed per haec omnia expectari volet benevolentiam suam et gratiam, sicut et Dominus docet dicens: *Quis ex vobis habet servum arantem aut pascentem? Numquid cum venerit domum, dicit ei, transi et recumbe? sed dicit, transi et ministra mihi, et tunc manducabis. Numquid agit dominus illi gratias servo, quia sic fecerit? amen dico vobis quia non agit. Sic et vos cum omnia feceritis quae jussero vobis, dicite: Servi inutiles sumus: quod necesse habuimus, fecimus (Luc. XVII, 7)*. Igitur qui agnoscit se Deum habere, talem exhibere debet servitutis humilitatem. Sed haec confessio non est operum, sed fidei. Itaque novi Testamenti bene annuntiator ait: *Dixi Domino meo, Deus meus es tu*. Et quid post haec dicit?

5. *Quoniam bonorum meorum non indiges*, VERS. 3. *Sanctis qui sunt in terra*. Quid tam consequens erat, quam quod ait, bona sua necessaria non esse sanctis terrae, neque ea bona

Domini ad usum esse sanctorum terrae habitatorum? Quae autem sunt bona Christi, quae bona Novi Testamenti, nisi gratuita, nisi peccatorum remissio? Haec bona sanctis terrae necessaria non sunt. *Non egent qui sani sunt medico, sed qui male habent (Marc. II, 17)*. Et proprie illos qui se in operibus suis justificant, sanctos non coeli sed terrae appellavit; ex hominibus enim laus eorum, non ex Deo est: quales fuisse eos Dominus notat, justificantes se in conspectu hominum, qui reprehendentibus quod cum publicanis conviveret, *Non veni, inquit, justos facere salvos, sed peccatores (Ibid.)*. Igitur gratia gratuita et remissio peccatorum justis necessaria non est; sed utique justis qui se justos putant; nam vere justus ex fide venit (*f. vivit*). Isti itaque sancti non indigent bonorum filii sui. Itaque infra ait: *Non congregabo synagogas eorum de sanguine meo*. Non est enim talibus redemptio per sanguinem meum necessaria, qui se justos esse arbitrantur.

6. Sed quare ait: *Ipsi miras fecerunt voluntates tuas in se; VERS 4: multiplicatae sunt infirmitates eorum: post haec acceleraverunt?* Tractat hunc locum Apostolus plenissime ad Romanos, *quod lex introivit ut amplificaretur peccatum. Ubi amplificatum est peccatum, ibi gratia abundavit (Rom. V, 20)*. Postquam enim repudiantes gratiam Dei inventi sunt in operibus legis, infirmis mira facta est voluntas Dei, qua ad gratiam suam provocabat eos. Quicumque ergo vult salvus esse, oportet ut gratia Dei liberari velit. Itaque bene psalmus ait: *Ipsi miras fecerunt voluntates tuas in se; multiplicatae sunt infirmitates eorum: post haec acceleraverunt*. Cum enim multiplicatae sunt infirmitates eorum qui se in operibus justificari volebant, mirae factae sunt voluntates Dei quae ad fidem gratiae vocabant. Horum igitur synagogas, ait, non

aggregabo de sanguine meo: id est, non redimam eos qui redemptionem meae gratiae non requirunt. *Nec memorabor*, inquit, *nomina eorum per labia mea*. Qui enim in operibus suis vult salvus esse, hic beneficium meum non confitetur: et *qui me confessus non fuerit coram hominibus, nec ego confitebor illum coram Patre meo qui est in coelis* (**Matth. X, 32**). Quod si hos tales non fuerat congregaturus, supererat ut ostenderet quos in haereditate accepturus esset. Itaque ordine subjungit:

7. VERS. 5. *Dominus portio haereditatis meae et calicis mei: tu es qui custodisti mihi haereditatem meam*. Si enim eos qui ex operibus justificantur repudiabat, eos utique quos Deus per gratiam salvos faciebat, habere malebat. Itaque significanter ait: *Dominus portio haereditatis meae*. Cum enim Dominus gratia sua salvos fecerit illos, quos ille in haereditatem dedit; vere Dominus est portio haereditatis ejus. Servavit autem obsequium filius, ut haereditatem suam non in sanguine suo quaesitam praedicaret; sed per Deum donatam sibi diceret a Deo, ut et calicis sui, id est passionis, Dominum portionem esse confiteatur. Etenim si passione Domini redemptae sunt gentes de peccato, ipsa tamen passio Domini voluntas Patris fuit, sicut testatur in evangelio dicens (ut homo loquitur quem suscepit): *Pater, transeat calix iste a me: verumtamen, non quod ego volo, sed quod tu* (**Matth. XXVI, 39**). Igitur si voluntatem Domini consideres, ipse confessus est dicens: si fieri potest, transeat iste calix a me. Unde etiam redemptio gentium non in voluntate Filii, sed in voluntate Patris recipienda est. Non enim quod ego volo, inquit, sed quod tu. Igitur hanc ipsam gratiam qua per mortem ejus redemptae sunt

gentes, non sibi Filius, sed Patri assignat. Itaque et haereditatis suae et calicis portionem Dominum esse asserit.

8. VERS. 6. *Funiculi, inquit, ceciderunt mihi in potentissimis: etenim haereditas mea maxima est mihi.* Fuit enim consuetudo vetus, ut et fines possessionum in funiculo mensurarentur: ideoque hic cum de haereditatis suae portione loqueretur, *funiculi, inquit, ceciderunt mihi in ipsis potentissimis.* Accipimus autem rei hujus testimonium ex cantico Moysi, ubi scriptum est: *Cum dispersit Deus filios Adae, et statuit fines gentium secundum numerum angelorum Dei, et facta est portio Domini populus ejus, Jacob funiculus haereditatis ejus (Deut. XXXII, 8).* Et merito hic qui portionem haereditatis suae Deum esse dixerat, funiculos possessionis suae in ipsis potentissimis cecidisse dicebat. Quid enim nisi potentissimi sunt, quos Dominus justificat, quos Dominus honorificat? *Quis accusabit electos Dei? Deus qui justificat? quis damnavit (Rom. VII, 33)?* Igitur qui in talibus haereditatem suam futuram esse dicebat, merito ait: *Funiculi ceciderunt mihi in ipsis potentissimis.* Quod autem *ceciderunt*, ait; nemo sic accipiat, quasi deteriolem factam haereditatem suam dicat, quia omne quod cadit deterius fiat; sed usus est proprio verbo et necessario. Ubi enim quis non propter meritum eligitur, ibi quasi quaedam sors cadit gratiae; sicut in assumptione apostoli qui subrogatus est in locum Judae, scriptum est, quia *sors cecidit super Matthiam (Act. I, 26).* Itaque quia non nisi ex gratia Domini talis sibi haereditas sorte contigerit, significanter ait: *Funiculi ceciderunt mihi in ipsis potentissimis: etenim haereditas mea maxima mihi est.* Hic novus Adam loquitur

9. VERS. 7. *Benedicam Dominum qui intelligere me fecit: nihil enim scit Filius, nisi quae vidit et audivit a Patre. Itaque benedicit eum, qui intelligere se fecit. Et vere hic intellectus non ex homine, sed ex Deo est. Nam quis hominum duabus positis haereditatibus, quarum altera sit in operibus magnifica et dives, altera pauper et egens; eligat eam quae aliena egeat misericordia? Verum Filius edoctus a Patre, mavult in his haereditatem qui in Deum sperent, quam qui in operibus suis justificantur. Ita pulchre ait: *Benedicam Dominum qui intelligere fecit me: adhuc autem et sicut in nocte erudierunt me renes mei.* Quid eum erudierunt renes sui? scilicet, ait, intelligere eum fecerunt, melius esse sperare in Domino, quam in suo opere justificari. Nam et ipsum Dominum nonne renes sui quasi in nocte erudierunt sperare in Deum? Nam et contristata est anima ejus usque ad mortem. Didicit sperare in Deum, et hoc est quod ait in hunc se intellectum eruditum esse a renibus quasi in nocte. Et sequentia enim ostendunt de passione eum sua dicere, cum subjungit:*

10. VERS. 8-10. *Providebam Dominum in conspectu meo semper, quia a dextris est mihi ut non commovear. Propter hoc jucundatum est cor meum, et exsultavit lingua mea, insuper et caro mea habitabit in spe: quia non derelinques animam meam in infernum, neque dabis sanctum tuum videre corruptionem.* Et textus quidem hic et ordo manifestus est: sed quod renes nominavit, et quasi in nocte, ait, erudierunt me; ne obscuriora videantur, interrogemus. Deus scrutator dicitur renum et cordis, in quibus quasi duobus locis hominis secreta teneantur. Sed in corde quidem secretum animae, in renibus vero secretum carnis est; quas subinde inter se diversitates

interioris et exterioris hominis etiam Apostolus docet cum ait: *Consentio legi secundum interiorem hominem; sed video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meae* (**Rom. VII, 12**). Et alio loco: *Igitur ego ipse quidem mente servio legi Dei; carne autem legi peccati* (**Ibid. 25**). Talem ergo ipse quamdam et Dominus noster Jesus sentire se refert dissensionem, ubi ait: *Spiritus promptus, caro autem infirma*: secundum interiorem enim hominem consentiebat legi Patris, ut pateretur; secundum exteriorem autem, ut ipse testatur, in carne trepidabat. Itaque quia renes secreta continent carnis quae infirmabatur in tempore passionis, eruditum se renibus suis ait, ut intelligeret ipse, licet esset Filius, sperare in Deum. Quod similiter de eo et epistola quae scribitur ad Hebraeos, sentit. *Quamquam enim, ait, esset Filius Dei, didicit ex his quae passus est obaudientiam: et perfectus factus est omnibus obaudientibus causa salutis aeternae* (**Heb. V, 8**). Sic enim renes erudierunt eum, ut provideret Deum a dextris suis semper ut non moveatur. Scilicet de voluntate, spiritus promptus est, sed caro infirma. Et proprie sic eruditum se esse dixit renibus suis quasi in nocte; non dixit in noctem, sed quasi in nocte. Non enim penitus contenebrati sunt sensus ejus de timore mortis, qui dicebat: *Verum non quod ego volo, sed quod tu* (**Matth. XXXVI, 39**). Sed tamen non erat sine quadam perturbatione, qui infirmitatem et tristitiam fatebatur. Nam si alibi David ait: *Metus mortis cecidit super me, timor et tremor occupaverunt me, et operuit me tenebra* (**Psal. LIV, 6**); recte haec tenebra ex timore mortis veniens, quam minima fuisse in Filio Dei convenit, non nox, sed quasi nox appellatur. Itaque significanter dicitur: Adhuc autem quasi in nocte erudierunt me renes mei. Quid autem erudierunt? Scilicet quod sequitur

infra, ut provideret Deum in conspectu suo semper, quia a dextris ejus est ut non commoveatur.

11. *Pro hoc, ait, jucundatum est cor meum, et exsultavit lingua mea; adhuc autem et caro mea habitabit in spe: quoniam non derelinques animam meam in inferno, neque dabis sanctum tuum videre corruptionem. Notas fecisti mihi vias vitae: implebis me laetitia cum vultu tuo: delectationes in dextera tua.* Ergo et jucunditates in dextera Dei, quibus cunctis repletus est Filius. In dextris enim habebat Deum. *Providebam Dominum, inquit, in conspectu meo semper; quia a dextris meis est.* Ascendens autem in coelum, ipse in dextris Patris factus est. In dextris quae sit istius dextrae sinistra, interrogemus. Novit ergo quodam loco Apostolus, arma justitiae dextra et sinistra, gloriam quidem et ignobilitatem. Dextra formam justitiae puto; ignobilitatem autem et infamiam sinistra. Attamen utraque justitiae arma sunt. Sed ut perveniamus ad dextra arma justitiae, in sinistris prius militandum est. Suscipienda est vero in hoc mundo ignobilitas, infamia, infirmitas, stultitia et caetera his similia; ut perveniamus ad nobilitatem, ad gloriam, ad virtutem, ad sapientiam: quae omnia accipiemus, cum pervenerimus illic ubi Christus est in parte dextra Dei sedens. Seminamur autem in ignobilitate, ut resurgamus in gloriam; seminamur in mortalitate ut resurgamus in aeternitatem. Itaque Dominus noster passus in tempore passionis flagellorum ludibria atque sputaminum, cum accusaretur quasi blasphemus, cum intra latrones deputaretur, positus in tanta ignobilitate et infamia, quid nisi in sinistris armis justitiae militabat? Itaque tunc in sinistra Dei positus, providebat eum a dextris suis, ut non commoveretur. At vero posteaquam resurrexit et ascendit in

coelum, perveniens ad dexteram, ad palmam justitiae, ad gloriam, ad nobilitatem, impletur laetitia cum vultu Dei, et habet delectationes in dextris ejus. A quibus nos spe cohortatur Apostolus dicens: *Quia non sunt condignae praesentis temporis passiones ad illa ventura bona, quae adaperientur in nobis* (**Rom. VIII, 18**). Propter quod et nos libentius in infirmitatibus nostris gloriemur, ut protegat nos virtus Dei. Et nunc quidem sit nobis ipsis Pater in dextris ut non moveamur, translaturus nos postmodum in dextris suis, in divitias Domini nostri Jesu Christi: cui est gloria. Amen.

TRACTATUS DE PSALMO XXXI.

1. *Psalmus David intellectus* notat quam continet prophetiam. Apostolus docuit, quia Novum Testamentum annuntiaret per vocationem gentium. In quo justificanda erat fides sine operibus, et in quo futura promittebatur remissio iniquitatum et oblivio peccatorum per gratuitam gratiam Dei: et ad hoc manifesta est ratio. Sed operae pretium est persequi omnem psalmi textum, in quo affectus psallentis deprehendantur. Quis viderit secundum carnem, tentationes introeuntes ad fidem? Vidit enim beatos quidem esse, quorum justitia ex operibus non computaretur. Lex enim intravit ut amplificarentur peccata: et lex iram fabricat: et ubi lex non est, nec transgressio. Quamobrem non immerito beatus vocabitur, qui non fuerit sub lege, sed fuerit potius sub gratia.

2. Verum fides haec qualis requiratur, notavit psalmista dicendo, VERS. 2: *Neque inventus fuerit in ore ejus*

dolus. Credo utique talem virum quaerat, qualem venientem ad se Nathanaelem Dominus laudavit; quales non erant in Israel, quos ita Deus increpaverat per prophetas: *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me* (**Isa. XXIX, 13**). Nec dubium est quin hoc sit dolus, aliud in labiis, aliud in corde habere. Itaque bene David in alio psalmo: *Credidi, inquit, propter quod locutus sum* (**Psal. CXV, 10**). Et Apostolus enarrat: *quia corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem* (**Rom. X, 10**). Ita si in corde credat quod labia confitentur, non invenietur in ore ejus dolus. At si labiis quis honoret Deum, cor autem ejus longe inveniat ab eo; dolus in ore ejus est, quo proprie in eo tempore notamur, in quo doctrinas hominum et consilia nostra sequimur, mandata Dei repudiantes. Sic enim scriptum est: *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est* (**Isa. XXIX, 13**). *Colunt me, mandata et doctrinas hominum sequentes* (**Matth. XV, 7**). Sic et Dominus in Evangelio legis doctores hypocritas vocat, praetereuntes voluntatem Dei, et consilia sua statuentes. Omnis autem hypocrita simulator est et dolosus est. Et profecto manifestus dolus est, fidem Deo promittere, et humanis consiliis credere. Hujusmodi autem viri nec remittere iniquitates, nec operire peccata possunt; quia salutem suam magis ponunt in consiliis hominum, quam in auxilio Dei. Denique quasi suam statim tentationem in vacillatione fidei notat propheta; et quasi semetipsum castigans, quid alii vitare debeant, commonet dicens: cum gravis super se manus Dei fuisset, hoc est perseverans in tentationibus multis, clamasse quidem ad Deum, sed in clamore non perseverasse: verum postremo tacuisse, et ex taciturnitate continuo inveterasse ossa sua.

3. Ossa autem spiritualiter quid aestimemus, frequenter notavimus: quia sicut corporis sui stabilimentum et fortitudo sunt ossa, ita et mentis nostrae stabilimentum et fortitudo patientia est; ita hic qui gravata super se manu Dei perseverare non potuit ad Deum, sed defecit et tacuit; inveterasse merito dicit ossa sua: id est consenuisse patientiam suam. Omne autem senium affert infirmitatem. Itaque et manifestum est infirmatam esse patientiam ejus. Et proprie posuit inveterasse, id est ad veterem impatientiam redisse: novus enim homo et nativitas nova habet perseverantem patientiam; inde Apostolus ait: *Vexatio patientiam pariet, patientia probationem, probatio spem; spes autem non conturbat, quia charitas Dei diffusa est in corda nostra (Rom. V, 3)*. Igitur quia in novo homine charitas Dei diffusa est in corde per Spiritum sanctum qui clamat: Abba Pater; merito perseverans est patientia ejus, ut possit dicere: *Quis me dividet a charitate Dei? Vexatio, angustia, an nuditas, an fames, an gladius (Rom. VIII, 35)*? At qui defecit clamando et sperando in Deum, benedicit quia inveteraverunt ossa sua; quod est, ad veterem impatientiam reversa sunt, deficiente novae nativitatis charitate, quae numquam de Patre desperat.

4. Quid ergo docet? Quoniam haec nobis fida repromissio est: quoniam si iniquitas aut operatio peccati, etiamsi gravis facta fuerit manus Domini super nos, et onera verit nos tentationibus multis, non deficere debet clamor noster ad Deum. Quid si tacuerimus? Quod revertamur ad veteres cogitationes, remedium in nostris consiliis requirentes, adhibentes curas et sollicitudines, et per sapientiam nostram relinquentes spem quae est ex Deo, quae est firmior omnibus cogitationibus nostris. Et hanc quasi in tentatione notans

propheta, psallit, VERS. 3 et 4: *Quoniam tacui, inveteraverunt omnia ossa mea; cum clamassem tota die ac nocte; gravata est in me manus tua.* Et quid novissime ait? *Conversus sum in miseriam, dum infixam est mihi spina.* Ideo aperte significat, ex hoc vitio quod in tentationibus supervenientibus clamare ad Deum et sperare desiisset, succedente silentio et taciturnitate, suscepisse se in cogitationibus curas et sollicitudines vitae suae, ac per hoc conversum se esse in miseriam, relictam scilicet spe adjutorii Dei: atque significanter ait, infixam sibi esse spinam. Spinam enim in Evangelio Dominus docet curas et sollicitudines victus esse, quibus suffocatur verbum: aut quam hic propheta spinam, id est curam et sollicitudinem vitae, infixam esse sibi dicit, ex eo ex quo tacuerit et desierit clamare ad Deum, per quod conversum se esse in miseriam confitetur. Et quoniam hae curae et sollicitudines saeculares frequenter in animos nostros, etiam cum non attenduntur, irrepunt; *Peccatum*, inquit, *meum cognitum mihi fac.*

5. Et separavit, distinguens iniquitatem a peccato; quia iniquitas ignota esse minime potest. Cujus verbi magis aptior est significantia in graeco. Ansdayan enim vocant, per quod significatur tempus quo sine lege vixerit mundus, cum adhuc in gentili vita Deum nesciret. Omnes autem conversi ad Dominum confiteantur necesse est, damnabilem fuisse prioris temporis vitam. At vero quia peccati nomen in hoc definimus, in quo quis intrat in curas et sollicitudines et cogitationes victus, quae quammultae et variae sunt, quarumque imagines invitis etiam bonis quam frequenter occurrunt; quis possit in sua observantia deprehendere? Itaque super hoc bene auxilium de Deo requirit propheta dicendo, VERS.

5: *Peccatum meum cognitum mihi fac, Domine.* Et in hoc peccati nomen a principio mundi et teneri, si ipsam protoplasti transgressionem discriminemus, manifesto invenimus. Sed de hoc longum erit persequi; aequae tamen sensus discriminantes inter peccatum et iniquitatem persequentibus quoque manifestantur. De peccato enim petit, ut cognitum sibi fiat; ut vero iniquitatem non celaverit sibi inquit. Illud enim, quia sine scientia hominis non erat, supererat in eo medicina humilitatis ut annuntiaret illud, et confiteretur Domino. At vero peccatum, cujus varietas etiam ignoranti poterat obrepere, cujus multitudo fallere poterat et latere, ut cognitum sibi fieret deprecatus est. Perseveravit denique in significantia verbi; et quia iniquitatem a peccato separabat, dixit: *Ego, inquit, renuntiabo adversum me iniquitatem meam, Domine.* Adeo et hic non peccatum meum nuntiabo, Domine, sed iniquitatem. Peccatum enim annuntiare non poterat, cujus cognitionem sibi quaerebat a Domino. At vero iniquitatem quam in conscientia habebat, hanc, ait, annuntiabo adversum me coram Domino. Iniquitati enim alia nulla medicina est, nisi confessio ad Deum. Facimus enim ignoranter quod agnitum facit Dominus, cum agnitionem ejus conversio fecerit, et necesse est poenitentia consequatur. Ita post iniquitatem hanc, si confessus fuerit coram Domino, et annuntiaverit illam adversum se, scilicet accusator sui factus, redimet impietatem cordis sui. Et hic prudenti ratione ait: *Dixi: pronuntiabo adversum me iniquitatem meam, Domine; et tu remisisti impietatem cordis mei.* Denique qui iniquitatem non confitetur Domino, superbiam adversum Dominum recipit, ac sic impietatem acquirit. Dominum enim non agnoscit patrem totius creaturae. Contra, propheta eum

qui confitebitur, ac per hoc impietatis crimen deprecatur, humilem vocat; quod est utique superbo contrarium.

6. Pro hoc enim, inquit, deprecabitur humilis et justus ad te in tempore recte. Est ergo tempus quando non est recte justus a Domino. Ipse propheta in subsequenti docet dicens, VERS. 6: *Verum in diluvium multarum aquarum ad illum non appropinquabunt.* Ergo in diluvio multarum aquarum non rectum est tempus, ut justus appropinquet ad Dominum; justi enim viri non est dare animae suae audaciam, sicut et lex dicit: *Non dabis animae tuae audaciam.* Quod si quis profundus et altissimus mysteriis Dominum quaerat, scrutetur omnia judicia ejus: et si forte ad sustinendos omnes fructus (*f. fluctus*) ejus existimet se posse sufficere, non erit iste vir justus, neque utiliter in diluvio aquarum multarum appropinquare conabitur ac Dominum quaerere; quoniam in exaltatione sapientiae suae, profundi ejus absconsa pulsare pertentaverit. Sic et apostolus Paulus: *Et ne in multitudine, ait, adaptionum exalter, datus est carni meae stimulus, angelus satanae qui me colaphizet: propter quod ter Dominum rogavi: et dictum est mihi: Sufficit tibi gratia mea: nam virtus in infirmitate perficitur (II Cor. XII, 7-9).* Itaque et hic propheta, cum dixisset: quia justi et humiles in diluvio aquarum multarum non appropinquabunt ad Dominum, ostendit ipse quo magis sibi tempore Dominus requiratur, VERS. 7: *Tu es, inquit, refugium meum a tribulatione circumdante me.* Et hic ergo magis in infirmitatibus gloriatur, ut protegat eum virtus Dei, sicut Paulus ait: *Libentius ergo in infirmitatibus meis gloriabor, ut protegat me virtus Christi (Ibid. 9).* Denique et subjunxit: *Exultatio mea, libera me a circumdantibus me.* Dominum exultationem suam vocat:

quia non gloriatur sapiens in sapientia sua, neque fortis in fortitudine sua; sed in hoc unusquisque gloriatur, quod cognovit et timet Dominum. *Exultatio ergo mea libera me a circumdantibus me.*

7. VERS. 8. *Intelligam et conjungar tibi in via hac qua ambulabis: firmabo in te oculos meos.* Sequitur praeceptum quod mandatur: *Post Dominum Deum tuum ambulabis.* Et hoc est fidelis vir, non sibi ipsum eligere viam, sed ipsum sequi viam quam Dominus ostendit, illud putare rectum quod ille mandavit. Denique ait: *Confirmabo in te oculos meos;* ut scilicet nullum aliud iter videant, nisi quod dirigat Dominus: quod ait in alio psalmo manifestius: *Sicut oculi ancillae in manibus dominae suae, sic oculi nostri ad Dominum nostrum (Psal. CXXII, 2);* scilicet, non quod ipsi verum intendere dirigamur; sed quod Dominus convertit oculos nostros, in cujus manibus esse debebunt; et quia in ejus potestate sit, ubi aperiat visum nostrum, ubi claudat.

8. Quod si quis ad hoc refugium Dei non sponte accedat, discamus quomodo talem castigat propheta, cui comparet, quid prohibeat. *Nolite,* inquit, VERS. 9, *fieri sicut equus et mulus, quibus non est intellectus.* Homo enim verbo obsequitur, et ad vocem obaudit. At vero quibus dici potest: *Quaesivi et non fuit homo, vocavi et non fuit qui exaudiret (Isa. LXIII, 5);* ejusmodi sunt equus et mulus: in freno et camo cogendi sunt illuc ire quo nolunt. Ex quo postulat justus, ut dura cervix et durae maxillae eorum tormento et violentia molliantur. Et benigne propheta non vult illos duritiae suae relinqui, quicumque sponte non appropinquant ad Dominum: sed potius expostulat quibuscumque suppliciis pertrahantur, dummodo salvi fiant.

Itaque ait: *In freno et camo maxillas eorum deduc, qui non appropinquant ad te.*

9. VERS. 9. *Multa flagella peccatoris.* Per haec enim Dominus salutem peccatoribus fabricat: inferendo enim plagas et tribulationes, superbiam peccatorum, ut timere consuescat, erudit. *Sperantem autem in Dominum misericordia circumdabit.* Neque enim aut freno aut camo ducendus est, aut flagello arguendus ut appropinquet, cujus spes semper est in auxilio Dei. Itaque huic proxima est misericordia ejus. Quamobrem sicut propheta ait, VERS. 11: *Jucundamini in Domino, et exultate justi, et gaudete omnes recti corde.* Per Jesum Christum Dominum nostrum, cui est gloria in saecula saeculorum. Amen.

TRACTATUS DE PSALMO XLI.

1. Disciplinam enarrandi generaliter in omnibus psalmis servandam puto, ut prius titulus inspiciatur, et ad ipsum omnis psalmus aptetur. Neque enim aliquis tam stultus est, qui cum se de cedro promiserit esse dicturum, describat quercum: nedum Spiritus Dei quem locutum credimus per prophetam, aliud in titulo notaverit, aliud in psalmi cantico dixerit, sicut in praesenti ea utique cantavit David quae *intellectus* esse deberent *filiis Core* (**Num. XVI, 8**): sic enim est praetitulatio psalmi. Legimus autem synagogam Core in tempore Moysi adversus ordinationem Dei murmurasse, ut summam ministrationis sacerdotii quam Aaron et filii ejus secundum voluntatem Dei susceperant, usurpare sibi et rapere niterentur.

Quod vitium cupiditatis Apostolus notat et monet quodammodo arguens: *Ita dico vobis per gratiam quae data est mihi in omnibus vobis, ne supra modum sapiatis, quam sapere vos oportet (Rom. XII, 3)*; sed in eo sapiat unusquisque vestrum secundum quod et Dominus impertivit mensuram fidei: *Sicut enim in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eosdem actus habent; sic multi unum corpus sumus in Christo, alter autem alterius membra, habentes charismata diversa (Ibid. 4 - 6)*. Igitur alii datur ministratio, alii prophetia, alii virtus, alii sermo doctrinae. Quod si quis supra modum sapere volens egrediatur mensuram partitionis Domini, invenitur in stultitia Core, vocabiturque spiritualiter filius Core: et his talibus cantabitur *intellectus*, psalmus iste quem docet.

2. VERS. 2. *Sicut cervus desiderat ad fontes aquarum, sic desiderat anima mea ad Deum vivum*. Arbitror enim non sine causa fontes positos aquarum, cum proximum fuisset, ut diceret, sicut desiderat cervus ad aquas; sed maluit *ad fontes aquarum* nominare, id est originem et principium aquarum; sciens videlicet per sapientiam spiritalem quae sola novit radices arborum, et naturas bestiarum, etiam hoc mutum animal, non proximas quasque aquas, sed ipsos aquarum fontes desiderare, mundiora et puriora rivorum appetere principia. Quo exemplo commoneri vult, ut et nos ad ipsum fontem vitae et sapientiae Dominum, qui est omnium caput, desideremus. Unus est enim iste fons, ex quo multae spiritualium aquarum divisiones efficiuntur, ut curationes, ut prophetiae, ut genera linguarum, ut ministrationes, ut sermo scientiae, ut sermo doctrinae. Sed et proximorum modi non ita appetendi sunt, ut per aemulationem et concertationem et

discordias, ipsius fontis desideria negligamus. Negligimus enim eum, quotiens nolumus mensuram divisionis ejus et ordinationis in pace et charitate servare. Ita in similitudinem filiorum Core figurati quicumque in hac superbia invenientur, commonebuntur hoc psalmo, ut intelligant potius ad quod intendere debeant desiderium suum, dicente justo: *Sicut desiderat cervus ad fontes aquarum; sic desiderat anima mea ad Deum vivum.*

3. VERS. 3. *Quando veniam et parebo ante faciem Dei? Factae sunt mihi lacrymae meae panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie, Ubi est Deus tuus?* Sed de hoc ipso, *quando veniam et parebo*, ostenditur nobis quoniam non de proximo impetrabile est; et nisi fuerint nobis panis lacrymae nostrae die ac nocte, nequaquam perveniatur ad faciem Domini. Et debet intellectus filiorum Core doctrinae ordinem sequi, ut sciat per multas tribulationes et vexationes et imperia (f. impropria) pervenire usque ad domum Dei, ne exaltetur in superbia sua, sciens quod virtus in infirmitatibus magis probatur, neve sibi rapiat dignitatem, quia Apostolus ait: *Id sapite in vobis quod et in Christo Jesu: qui cum esset in forma Dei, non rapinam existimavit se esse parem Deo; sed humiliatus est, formam servi accipiens, et habitu inventus ut homo. Exinanivit se usque ad mortem, mortem autem crucis (Philip. II, 5-8);* in qua cum esset affixus, audivit haec impropria: *Ubi est Deus tuus?* cum dicerent ei exprobrantes: *Veniat et liberet eum (Matth. XXVII, 43).* Docetur ergo, ut dixi, synagoga Core, per quantas tribulationes et lacrymas accedatur ad domum: quas sibi lacrymas pulchre ait propheta in pane fuisse, id est in cibum vitae aeternae; et ex ordine venit, ut in subsequentibus dicat:

4. VERS. 5. *Haec memini, et effudi in me animam meam, quia transibo in locum tabernaculi admirabilis usque ad domum Dei.* Et quidem aliquantulum hic praeloquendum puto de signantia verbi, quid sit *effudi*. Ideo se effudisse dicit, quia transiturus esset in locum tabernaculi usque ad domum Dei. Bona autem spiritus sunt transitus usque ad domum Dei. Effundere ergo animam, spei bonae operatio est: sed quid de communi ejus novimus? quia quidquid effunditur, projicitur et perit, nec tam salvum est quam cum retineatur in vasculo. Hoc enim est effundere, quod alicubi clausum habueris id foras fundere. Ita qui dixit, *effudi animam meam*, non aliud dixisse intelligendus est, quam projecit et perdidit et vilem habui. Quomodo ergo ideo projecit et perdidit, quia transiturus esset in locum tabernaculi usque ad domum Dei? nisi forte manifestum facit praeceptum Dei, qui ait discipulis suis: *Quicumque salvaverit animam suam, perdet illam; et quicumque perdiderit, salvam faciet eam (Luc. XVII, 33).* Et revera ordinem tenuit: cum enim praelocutus de tribulationibus fuisset, quoniam factae essent lacrymae ejus panis die ac nocte, dum dicitur ei quotidie, *Ubi est Deus tuus?* *Haec*, inquit, *memini, et effudi in me animam meam*: in quo non aliud dixisse intelligendus est, quam projecit et perdidit et vilem habui. Quomodo ergo animam Deo projecit? Scit enim justus, quotiens superveniunt tribulationes et persecutiones et impropria propter nomen Dei, perdendam esse et projiciendam et vilem habendam animam, ut salva fiat in die Domini; ideoque et hic significanter, non ideo se fudisse animam suam ostendit, quia desperaverit de spe vitae futurae; sed ideo effudisse animam, quia transiturus esset in loco tabernaculi admirabilis usque ad domum Dei. Docti igitur hoc psalmo, quotiens persequetur inimicus et improperebit nobis

nomen Domini, effundamus ei animas nostras, perdere eas, parati, ut salvas faciamus illas: non ideo effundentes eas, quasi desperemus de fiducia adjutorii Dei; sed ideo quia certi simus reddendas illas esse nobis, et transituros nos esse in loco tabernaculi admirabilis usque ad domum Dei.

5. Quisquis autem hic locus sit admirabilis tabernaculi, in quo transitus erit usque ad domum Dei, jam hic interrogare incipiamus. In veteribus libris invenimus tabernaculum a Moyse factum Deo Israel, in quo arca testamenti tenebatur (**Exod. XXVI, I**), et in hoc omnia celebrata mysteria, et hic eos prius hostias offerentes apparuisse ante faciem Dei, usquequo per Salomonem aedificata est domus Dei, transivit arca ex tabernaculo pellium in templum lapidibus instructum: sed illud tabernaculum quod in deserto fuerat, et illae pelles quae ante tecta templi cooperiebant, ministerio admirabiles fuerunt. Denique in Canticis canticorum initia sua sponsa sic laudat: *Nigra sum et bona, filiae Jerusalem, sicut tabernaculum Cedar, sicut pelles Salomonis* (**Cant. I, 4**). Et in alio psalmo David licet in atria Domini concupisceret; laudat tamen et tabernacula ejus dicens: *Quam admirabilia, inquit, Domine, concupiscit anima mea in atria Domini* (**Psal. LXXXIII, 2**). Est enim quidem admirabile tabernaculum Dei; sed magis concupiscenda domus Dei. Denique et ipse David pacifico jam regno Israel, cum arca Dei in Syon sub pedibus (f. pellibus) tabernaculi moraretur, concupiscit aedificare domum Dei. Sed quid illi ait propheta? *Non mihi aedificabis domum* (**II Reg. VII, 7**): non est omnium aedificare domum Dei. Itaque quasi ad majores ascensiones, transitus nobis est faciendus in loco tabernaculi, ut perveniamus usque ad

domum Dei. Et admonemur de exemplo Jerusalem, quia non prius aedificatur domus Domini, nisi hoste victo atque peccato: sed tamen tamdiu in tabernaculo sumus, quousque desertum transeatur, et intretur in terram Jordanis, initium repromissae haereditatis, debelletur omnis Chananaeus hostis.

6. Id autem interest inter dignitatem tabernaculi et domus, quod in tabernaculo non semper degitur; at vero in domo semper, sicut in ascensionibus significat David dicens: *Quoniam elegit Dominus Sion, complacitam habuit inhabitationem sibi: haec requies mea in saeculum saeculi (Psal. CXXXI, 13)*. At vero in tabernaculo non habet requiem: movendum est enim in tempore belli, in quo et recedebat nubes ab eo quae significabat praesentiam Dei: quae recte comparabitur similitudo nobis, quamdiu in hoc corpore peregrinamur, in hac aequanimitate vincamus omnia vitia ejus, ut nullus hostis vivens aut vicens relinquatur. Visitabit enim nos etiam in tabernaculo Deus, et in tempore quietis: at ubi exorta fuerit pugna cum vitiis, constringendum est tabernaculum nostrum, et ad expeditionem belli praeparandum; nec poterit expandi, nec delectari in requiem Dei tempore quo fiet interpellatio vitiorum: et praecedet te Deus quidem in pugna, ut si ambulaveris post eum, facile vincas hostes tuos, habitare autem illo tempore in te non potest. Itaque licet vincas, licet exsuperes vitia carnis, ex ipsa tamen conflictatione contaminas manus tuas in sanguine tuo. Nec idoneus eris in hoc tempore aedificare domum Domini, sicut reprobatur David qui operatus esset in sanguine. Ille autem aedificat domum Domini qui intrat in requiem, qui nullis inquietatur vitiis, cui omnis hostis extinctus est, qui possit dicere: *Mihi autem mundus crucifixus est et ego*

mundo (Gal. VI, 14); apud quem omnia vetera transierunt, nova facta sunt, quale regnum Salomonis in figuram nostri refertur. Sed si in hujus vitae cursu nemo tam perfectus inveniatur, qui mundus ab omni interpellatione peccati pervenire in domum Dei possit: potero tamen ita dicere, *quoniam transibo in locum tabernaculi usque ad domum Dei*: id est in hac vita praesenti, ut quandiu in hoc mundo sum, in locum transeam tabernaculi; quippe cum quotidie pugna contra carnem et sanguinem, contra spiritualia nequitiae gerenda sit. At cum resoluta fuerit inhabitatio tabernaculi hujus, sicut Apostolus ait, et accipere domum non manibus fabricatam, sed aeternam in coelis; cum transfiguratum fuerit corpus humilitatis nostrae in similitudinem corporis filii Dei: tunc perveniam in domum Dei, quo tempore possit in aeternum habitare in me; et recte psallam, *quoniam transibo in locum tabernaculi admirabilis usque ad domum Dei*.

7. Erit autem hic transitus meus *in voce exultationis et confessionis, sonus epulantis*. Nec mirum autem si umbra futurorum bonorum habuit imaginem hujus jucunditatis, vel cum David transferens arcam Dei de tabernaculo Sylon, intrabat in Jerusalem cum choro et tympanis diem festum agens, vel cum Salomon aedificato templo intulit omne ministerium in multa exultatione cantantium et psallentium Deo. Nec mirum, inquam, cum unusquisque nostrum tabernaculum hoc corporis sui commutabit in illam domum non manu factam, sed aeternam in coelis, si erit transitus ejus in voce exultationis et confessionis sonus epulantis.

8. Hanc igitur spem qui percepit, merito interpellavit tristitiam animae dicendo, VERS. 6: *Ut quid, anima, tristis es, et ut quid*

conturbas me? Spera in Deum, quoniam confitebor illi, salutare vultus mei et Deus meus. Et vide nisi conveniat intellectui huic quem secuti sumus, ut in tempore persecutionis et improperii nominis Dei hujusmodi spe consoletur animam justus. *Ut quid tristis es, anima, et ut quid conturbas me? Spera in Deum quoniam confitebor illi.* Sed quoniam fieri non potest, ut projiciens animam suam in mortem non aliqua contristatione turbetur, quippe cum ipse omnium virtutum Dominus, ipse princeps fidei, ipse Filius Dei, qui antequam in tempus crucis veniret, ac fiducia loquebatur ut diceret: *Nemo auferet animam meam a me, potestatem habeo ponendi animam meam et iterum resumendi eam* (**Joann. X, 18**); idem tamen in proxima hora mortis, *perturbata est, inquit, anima mea usque ad mortem* (**Marc. XIV, 34**); et, *Pater, si fieri potest, transeat calix iste a me* (**Matth. XXVI, 39**), et in novissimo gemitu: *Deus, Deus meus, ut quid me dereliquisti* (**Matth. XXVII, 46**)? Ita et psalmus iste imaginem persecutionis in ordinem ostendens, quantae conflictiones tribulationesque sustinendae sint justo, per quas tentanda et probanda sit fides ejus; ideo ait, **VERS. 7**: *Deus meus, turbata est in me anima mea.* Quis enim est cujus non turbetur anima in tempore persequentium nomen Dei? Praeter illam enim necessitatem fragilitatis humanae, praeter corporales trepidationes, est quaedam peculiaris fidei perturbatio, cum videantur persecutores nominis Dei increescere et dominari, nec vindicare Deus famulos suos, nec subvenire tribulationibus eorum, nec extendere adversus inimicos suos potentem dextram suam. Et ideo quia nemo in hujusmodi tempore sensum judiciorum Dei retinet, pulchra est illa exclamatio Domini: *Deus, Deus meus, quare me dereliquisti* (**Ibid.**)? qua

ostendit se non intelligere causam quare sit derelictus. Et si ille sapientiae magister et enarrator Patris, Filius sic perturbatur, ut interroget Patrem ut quid dereliquisset; quid facient reliqui quamlibet justī, cum iudiciorum Dei altitudines supervenerint eis? Verumtamen docet psalmus, quid in his perturbationibus retinere et solum facere debeamus. Oportet enim omnem virum justum cum tentatur, cum tribulatur, cum angustiat, cum in perturbatione animae venit, etsi quare haec sibi accidant non intelligit, fidem tamen non relinquere, nec condemnare credulitatem, quam docuit propheta dicendo: *Propterea memor ero tui, Domine, de terra Jordanis et Hermonis a monte modico*. Nam quia perturbata est in me anima mea, propterea, inquit, memor ero tui de terra Jordanis et Hermonis. In terra enim Jordanis introitum significat repromissae haereditatis populo Israel. Et quoniam nos spiritualibus spiritualia comparantes, nobis haereditatis introitus fides existimatur. Haec est enim janua repromissionum nostrarum. Itaque ubi initium fidei nostrae commendare voluit Propheta, ibi terram Jordanis et montem Hermonem nominavit. Sic et in Canticis canticorum ubi prima vocatio Ecclesiae facta est: *Veni, inquit, a Libano, sponsa; veni a Libano, sponsa; veni a Libano (Cant. IV, 8)*: transiens transibis, et transibis ab initio fidei, a capite Hermon. Nec moveat quemquam quod in hoc loco et Sanir nominatus est, cum idem sit mons Sanir qui Hermon, quem in terra Jordanis constitutum esse historia docet per Moysen in Deuteronomio. *Et accepimus, ait, in tempore illo terram de manibus duorum regum Amorrhaeorum, qui erant secus Jordanem, a torrente usque Hermon Sanir (Deut. III, 8)*. Amorrhaeus nominavit illum Sanir. Caput ergo Hermon quod est in terra Jordanis, initium vocatur fidei. Ideo illic et

Joannes primus praecursor auditur, et Joanni primum Christus ostenditur: illic Spiritu sancto Dominus adimpletur, illic paternae vocis testimonium redditur: *Hic est filius meus in quo complacui* (**Matth. III, 17**). Hic progrediens initia virtutum, hic initia signorum quibus Filius Dei creditur operatus.

9. Merito igitur caput Hermon initium fidei vocatur: unde memores nos esse oportet salutare vultus nostri Deum nostrum, quotiens in tentationibus anima nostra turbatur. Initium enim fidei simplex prima credulitas, qua via intramus ad fidem Dei per Jesum Christum. *Sapientia vero inter perfectos quaeritur* (**I Cor. II, 6**): quae varietates sint judiciorum Dei, quae altitudines cogitationum ejus. Ita etsi in tempore persecutionum, in perturbatione mortis instantis defecerit sapientia, initium tamen fidei non relinquatur: sed saltem simplici illa et nuda credulitate memores simus Dei, scientes quia non habeat in nos inimicus potestatem, nisi quantum permittitur. Non abutamur tamen insipientis mulieris jactatione, qua dictum est: *Ubi sunt opera justitiae Dei? Job, quid profuit timor Domini* (**Job. XXII, 3**)? Sed quoties in hanc perturbationem veniet cogitatio, justum erit secundum hujus psalmi doctrinam dicere: *Deus meus, perturbata est anima mea; propterea memor tui ero de terra Jordanis et Hermonis de monte modico*. Ergo et significanter monti Hermoni *modici* addit appellationem: fidei enim initium mons pusillus, et cui multae ascensiones usque ad regnum coelorum per contumelias, per injurias, per tribulationes, per mortem crucis credere in Deum primus ascensus est: quoties enim in illo vertice amarissimo crucis perturbabitur anima mea de

initio fidei, de monte modico; memor ero, Domine, qui es salus vultus mei.

10. *Abyssus enim abyssum invocat in voce cataractarum tuarum*, id est fluctus tentationis Dei, qua terra patietur: quia altitudines cogitationum et iudiciorum ejus quis novit? Diluvium est sensus Domini, cujus magnitudinem ostendere volens justus, quoniam de tribulationibus suis loquebatur: *Abyssus*, inquit VERS. 8, *abyssum invocat, in voce cataractarum ejus*.

11. *Omnes altitudines tuae et fluctus tui super me transierunt*. Reddit causam cur turbata est anima ejus: abyssus enim abyssum invocat in voce cataractarum. Praelocuti quidem jam sumus, quid esse abyssum putaverimus; reddimus tamen rationem quid de hoc ipso propheta ait: *Judicia tua, Domine, abyssus multa (Psal. XXXV, 7)*: magnum enim profundum est in altitudines iudiciorum Dei, quasi in nos ita frequenter ut iudicium iudicia consequantur quae caro emergat, quae caro sustineat? Vide apostolum, licet in pace tractaret, intendens tamen mysterium Dei, perturbatus exclamat: *O altitudo sapientiae et scientiae Dei! quam inscrutabilia iudicia ejus, quam investigabiles viae ejus (Rom. XI, 33)*! Haec igitur altitudo cordis Dei recte abyssus nominatur, cujus profundum nemo cognoscit: multae enim altitudines, ubi nullus est finis. Et merito hic nos abyssus ad abyssum invocat in voce cataractarum tuarum. Species quasdam abyssorum constituamus, quo tractatus magis luceat. Ecce Filius Dei in multis signis et virtutibus veniens curat multorum varias aegritudines, et accusatur quod faciat sanitates. Quis unquam male audivit qui bene fecerit? Et admittit Pater tam impiam contumeliam Filii sui: ecce una

abyssus. Judicia Dei struuntur, comparantur falsi testes quasi adversus blasphemum et irreligiosum, cum esset solus verus Dei testis: et dicunt impii testimonium, et obtinent causam: ecce altera abyssus consequitur priorem. Colaphizatur, flagellatur, in ludibriosum habitum componitur, exsultat et subsannat inimicus, in Filium Dei longa omnis transit impietas: ecce jam tertia abyssus supervocatur, damnatur in cruce gloriae Dominus, inter latrones et impios deputatur. Vide quanta judicia abyssus consequatur, ut merito ab hoc dici possit: Omnes altitudines et fluctus tui super me transierunt.

12. Et hic jam satis dictum puto. Sed ne aliquis requirat et studio praeterisse nos existimet, quid sit quod ait: *In voce cataractarum tuarum abyssus abyssum invocat*, modice de cataractarum voce repetamus. Habent utique hae visibiles aquarum cataractae voces suas, quia emissiones fluminum sonare et strepere necesse est. Et quoties ex infinito lacu stagnorum vel fontium eructatione surgunt in exitum flumina, cujus profundum nequaquam deficere et exhauriri queat; bene de his dicitur abyssus abyssum invocat in voce cataractarum. Sed nos meminisse debemus de quibus abyssis loquatur propheta, de quibus etiam praelocuti sumus. Itaque et cataractas horum nosse debemus: omnes autem eructationes judiciorum Dei per voces prophetarum invenimus sonuisse, quas hic cataractas appellatas existimo. Abyssus abyssum invocat in voce cataractarum. Post praedicationem prophetarum consecuta sunt Dei judicia, et velut vocarunt se in illam vocem quam praemiserat ut sequerentur. Vox cataractae fuit: *Opprimamus justum quia inutilis est nobis, et contrarius est operibus nostris, et Filium Dei se nominat (Sap. II, 12)*. Altera vox cataractae est: *Sicut ovis ad*

victimam adductus, et sicut agnus coram tondente se non aperuit os suum (Isa. LIII, 7). Est et alia vox: Foderunt manus meas et pedes meos, dinumeraverunt omnia ossa mea (Psal. XXI, 17). Est et illa vox: Diviserunt vestimenta mea, et super vestimentum meum miserunt sortem (Ibid. 19): et in siti mea potaverunt me aceto (Psal. LXVIII, 22). Et quid necesse est nunc omnes voces cataractarum referre, cum pleni sunt libri prophetarum de contumeliis et passione Domini? Quoniam ergo omnes praedicationes etiam rerum gestarum fides secuta est, in hanc vocem cataractarum abyssus abyssum invocavit, ut suppleret scilicet effectus sonos earum. Igitur quia de talibus abyssis loquebatur propheta, opportune subjungens ait:

13. VERS. 9 et 10. *Inter diem mandavit Dominus misericordiam suam, et nocte manifestavit: apud me oratio mea Deo vitae meae: dicam Deo, susceptor meus es, quare oblitus es?* Dat videlicet doctrinam et consolationem omnibus justis, ut si ex multis tentationum fluctibus operti, perturbationem sensus patiuntur, quae tenebrae oculorum nox vocatur; meminerint quia semper in hanc noctem manifestatur misericordia Dei potens, nisi sit tempus causa miserandi. Sed cum in periculum venerimus, et perturbatio ex desperatione vitae quamdam cordi nostro fecerit noctem, tunc si potuerimus dicere: *Apud me oratio Deo meo: dicam, susceptor meus es, quare me dereliquisti?* Hoc ergo in nocte retinendum est; et cum caeteri sensus perturbantur, hoc tamen deficere non debet quod clamemus ad Dominum: *quare me dereliquisti?* de quo sermone prius tractavimus: quia etsi causa judiciorum Dei non intelligamus quare nos in aliquibus

tentationibus relinquat; deficere tamen nos non oportet, quin ab ipso misericordiam deprecemur.

14. *Quare, inquit, tristis incedo, dum affligit me inimicus, VERS. 11, et confringit ossa mea?* Haec ergo semper etiam in nocte apud justum erit oratio ejus. Quod autem ait: *Confringit ossa mea*: non utique, proxima mors, subintelligendum est; sed quia hic in tribulatione frangebatur patientia ejus, quae est stabilimentum et fortitudo mentis nostrae, sicut ossa sunt corporis: ossa patientiam vocavit, quae cum assiduis tribulationibus confringeretur: *dum confringit*, ait, *ossa mea*, improperabant tribulantes me, cum dicerent quotidie: *Ubi est Deus tuus?* Sed licet hanc gravem manum sentiat justus, quid tamen fieri necesse sit, et quod remedium obtinendum sit in persecutionibus, docet dicens, VERS. 12: *Ut quid tristis es, anima mea, ut quid conturbas me? Spera in Deum, quia confitebor illi, salutare vultus mei et Deus meus.* Quo nobis proposito exemplo, si qua vexatio, si qua pressura, si quod improperium nominis Dei venerit super nos, si tristis erit anima nostra, si perturbabitur, nos dicamus: *Spera in Deum, quia confitebor illi, protegente Jesu Christo Domino nostro, cui est gloria in saecula saeculorum. Amen.*